



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructio practica ...**

Institutiones Theologiæ Mysticæ, Seu Facilem & practicum modum  
Exercitia Spiritualia S.P. Ignatii Loyolæ per octiduum faciendi - item  
triduanam recollectionem fructosè instituendi complectens, Et  
Sacerdotibus Præcipuè, aut de Sacerdotali Statu suscipiendo  
deliberantibus accomodata, Una cum ...

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1680**

Materia Lectionis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48834)

extrema & recollectiones, ut, si fortè partem talentorum malè collocatam, aut in sudario negligentia relictam advertas, ex damni consideratione ad novam diligentiam exiteris. V. Ut, quoniam Christus ipse Jo. 15. dixit, *sine me nihil potestis facere*: eundè & SS. Patronos tuos in auxilium roces, atque adeò frequenter ab eis gratiam ad bene collocanda talenta necessariam petas, memor saluberrimi consilij à S. Leone dati, dum super verba illa S. Petri c. 1. *Sancti esse*: sic loquitur: *Præcipi sanctitatem, & modum ejus acquirenda, quasi diceret: Me diligite, & abijs, qua mihi displicent, abstinete: facite, quod amo: amate, quod facio: & cum difficile videtur esse, quod jubeo, ad jubentem recurrite, ut, unde datur præceptum, præstetur auxilium: non negabo opem, qui tribui voluntatem.*

Considera II. Quàm solida & efficacia sint hæc media, utpote quæ contineant tria illa media ab ipsa sponsa cant. 1. ad obtinendum sponsi amorem adhibita, & ad alios etiam fines obtinendos perutilia, scilicet *desiderium* per verba *osculetur me osculo oris sui* indicatum: *orationem* per verba *trahere me post te* insinuatam: & *cooperationem sedulam* & *serventem* per verba *curremus in odorem unguentorum tuorum*: significatam.

Considera III. Quomodo hæc media hæctenus adhibueris, & adhibere deinceps velis. Colloquium ad Christum cum illis S. Augustini verbis: *Inspira in me opus sanctum, ut te cogitem: compelle, ut faciam: suade ut te diligam: confirma, ut te teneam: custodi, ne te perdam.*

#### Materia Lectionis.

Post hanc meditationem & reflexionem peractam, ne statim ad negotia tua redeas, audi adhuc Deum tibi extrema monita dantem, eumque in finem primè ex libello de imitatione l. 1. c. 25. attentè perlege. Deinde ne ulla materia ex libello exercitiarum lectionem tuam effugiat, tres modos orandi à S. Ignatio præscriptos perlege, &, quomodo deinceps eosdem praticare velis, considera. Sunt autem hi modi, ut in compendio habeas, ferè sequentes.

Primus est, ut post brevem considerationem, quò accedendum, & quid faciendum sit, & orationem præparatoriam